

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0195

0193

0199

0189

0204

0184

0244

0144

0294

0094

0694

184

Josephus Libr. VIII. Antiquit. Jud. c. 3. Denique sponsam suam amorosis canticis ad hunc hortum saepe invitat, dicens: Veni in hortum meum, soror mea, sponsa, Cant. V. Et optat ei aërem convenientem, Cant. IV. dicens: Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. Unde adeo frequenter solebat Salomon morari in hoc horto, quod, quando nesciebatur, ubi erat, inveniebatur in horto. Quapropter, dum filiae Jerusalem quaerent a sponsa: Quo abiit dilectus tuus? respondet: Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur et lilia colligat, Cant. VI. Plantaverat enim in horto illo herbas aromaticas et virgulta nobilia, ut cypros, cum croco, nardum, et fistulam, balsamum et cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrham et alôes, cum omnibus primis unguentis, ut habetur Cantici IV. Vites etiam et nuces et alia inerant. Hodie autem aromatica defecerunt, et remanserunt arbores pomeranjarum, malogranatarum, ficulnearum, olivarum, mororum, nucum et pomorum, et est, ac si esset paradisius delicia, cui convenire videtur illud Cantici 4.: Emissiones tuae paradisius malorum punicorum cum pomorum fructibus.

De piscinis Salomonis regis.

Visis deliciosis hortis illis ascendimus consequenter ab eis per litus rivuli, quo irrigantur, ita, quod canale, in quo currunt aquae in Jerusalem, erat nobis ad dextram, et alveus, per quem aquae hortum praedictum rigantes descendunt, erant nobis in sinistra. Sic ergo per medium ascendimus et ad piscinas grandes tres sibi subordinatas venimus. Has piscinas dicunt esse illas, de quibus dicit Salomon Eccles. c. 2. 6: Extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium. Silva illa lignorum germinantium est hortus praedictus, in quem per alveolum transmittuntur aquae a piscinis istis.

Porro piscinae illae magnae sunt et maximis laboribus exstructae per ferramenta acuta, quibus rupes durissimae et petrae solidissimae sunt cavatae, rosae et abscissae in longum et latum per medium vallis, cui (B) ab utroque latere

Ende

Anfang